



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Quid requiratur ad veritate[m] propositionis in sensu formali. cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

significatus ad suā artem, vt homo ad suā: si ergo homo operans per artem per accidens operari dicitur, etiā Deus. Nihilominus dicendum est omnē actionem prædicari per se de Deo. Fundamentum est quoniam principium immediatum agendi, cui per se tribuuntur actiones, per se conuenit Deo, vt per singula discurrendo liquet: nā intellectus, ac voluntas, quę sunt principia formalia omnium operationū ad intra, sapientia, ars, & omnipotētia, quę sunt principia actionum ad extra, per se conueniunt Deo: nam si adæquate sumatur, cōueniunt in primo modo dicendi per se, in secundo verò, si sumatur inadæquate prout cōcipitur à nobis sub sola ratione substantialis perfectionis: quoties verò principium agēdi per se cōuenit subiecto, etiā per se, & nō per accidens de illo dicitur operatio: hæc enim, *homo intelligit, ridet*, est propositio per se, & non per accidens, siue per aliud. At si operationes tribuantur perfectionibus illis, à quibus immediate emanare concipiuntur, etiā propositio erit per se: contra verò si tribuantur alijs disparatis, patet quoniam hæc est per se; *Deus iustus punit, misericors parcit, omnipotens creat, sapiens intelligit*: hæc vero per accidens, *iustus miseretur, misericors punit: Bonus intelligit, sapiens amat*. Ratio est, quoniam hæc prædicata tribuuntur subiectis non per se, sed propter identitatem cū propria ratione, & principio operationū. Ex quo patet doctrinā traditā minimè repugnare dicto Aristot. nam ille solum eas prædicationes dicit per accidens, quando tribuitur ratio causandi substantiæ, cui per accidens conuenit propriū operandi principium: quomodo aqua per accidens calefacit, quoniā calor, qui est propriū, & immediatum principium calefaciendi, conuenit illi per accidens: omne verò principium operationis Dei ad extra conuenit ipsi per se, & consequenter operatio ipsa.

Quid requiratur ad veritatem propositionis in sensu formali.

CAPVT XI.

I. **A**cturus deinceps de veritate propositionum in terminis diuinis in sensu identico, & formali, necessarium duxi explicare, in quo consistat veritas identica, & formalis, & quo differant: Appellatur autem veritas formalis per inhærentiā, vel informationem, identica per identitatem.

S. Bonauent.

In primis autem D. Bonauent. in 1. dist. 27. 1. part. art. vn. q. 1. ad vltimum, & d. 33. q. 3.

asserit prædicationem per inhærentiam esse in concreto, prædicationem vero per identitatem in abstracto: quibus indicat prædicationem omnem in concreto esse per inhærentiam, in abstracto verò per identitatem. Idem videtur sensisse Henric. in summ. art. 74. q. 3. liter. B. sed hæc regula non est vniuersaliter vera: quia abstracta accidentium prædicantur de inferioribus per inhærentiam, siue formaliter: & nonnulla concreta dicuntur per identitatem, quomodo hæc est vera, *essentia diuina est generans*, si terminus generas accipiat substantiue neutraliter, quia facit hunc sensum, *essentia diuina est res*, quæ est generans, nempè Pater: & idemmet Bonauent. in 1. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 3. admittit hanc esse veram per identitatem, *essentia diuina est Pater*, & in eodem sensu D. Thom. in 3. dist. 5. in expositione text. concedit hanc, *essentia diuina est homo*, quia est idem secundum rem cum supposito hominis.

Hispalens. in 1. dist. 33. quæst. 1. artic. 3. II. notabil. 1. existimat omnia nomina substantiua dici per identitatem, & sola adiectiua per informationem: quoniam in prædicatione, inquit, identica prædicatum non se habet ad subiectum vt forma, vel vt aliquid eius, neque vt ponens rem significatam circa subiectum, sed vt quoddam per se subsistens: & ideo prædicatio identica fit per terminos substantiuos substantiue tentos: at verò in prædicatione per inhærentiam prædicatum se habet ad subiectum vt forma, vel per modum informantis: & ideo dicitur ponere rem suam circa subiectum. Hoc verò patet per exponentes vtriusque prædicationis: nam hæc propositio, *homo est albus*, exponitur ita, homo habet, vel est habens albedinem: illa verò, *homo est Pater*, si sit formalis, exponitur, id est, homo habet Paternitatem: prædicatio verò identica non ita exponitur, sed per esse id, quod est res prædicati: vt si Pater substantiue teneatur in prædicato, huius propositionis, *homo est Pater*, idem valet, ac si dicatur *homo est is*, qui habet Paternitatem: item cū dicitur, *virtus est qualitas*, exponens eius est, virtus est id, quod est qualitas. Ex quo infert omnem prædicationem identicam fieri per abstracta, vel concreta substantiua, vel substantiue sumpta. Contra verò omnem prædicationem formalem fieri per prædicata concreta adiectiua, vel adiectiue sumpta. Ex hac doctrina sequitur nullam prædicationem substantiarum, prædicamentaliū esse veram in sensu formali, quo-

malis, quoniam significatur nominibus substantiuis, ut cum dicitur, *Petrus est homo*, *homo est animal*, cui tamen repugnat tum D. Thomas ubi supra, admittens hanc esse veram in sensu formali; *Filius Dei, est homo*, tum etiam ratio, quoniam hæc, *Pater est Deus*, est vera in sensu formali, & tamen prædicatum est terminus substantiuus.

III. Ut verò tradatur vera, ac propria ratio sensus formalis & identici, obseruandum est prædicationem veram adequatè diuidi in identicam & formalem: formalis dicitur per informationem, ut patet ex D. Thom. in scripto ad Hannibaldum in 1. d. 5. q. vn. art. 1. Dicitur verò per informationem, quando prædicatū habet rationem forme respectu subiecti. Quoniam verò forma dupliciter comparatur ad subiectū, vel essentialiter & intrinsecè, vel accidentaliter & extrinsecè: duplex quoque reperitur modus prædicationis formalis: alter eum forma, ratione cuius prædicatum verificatur de subiecto, est illi essentialis, & intrinseca, ut cum dicitur *homo est animal*; nam quæ animalitas est forma intrinseca homini: alter cum est accidentalis, & extrinseca, vel significatur, aut prædicatur per modum forme accidentalis, ut cum dicitur, *homo est sapiens*, vel rationalis: sapientia enim est forma accidentalis, rationalitas verò, licet sit essentialis, prædicatur per modum accidentis, cum significatur nomine adiectiuo. Primus modus dicitur prædictio per inhaerentiam, secundus formalis sine addito: & quia habet simul aliquem modum prædicationis per identitatem, ut statim dicam, propterea plerique Authores prædicationem formalem appellant simpliciter per inhaerentiam. Ego tamen non ita pressè accipio, sed prout vtrumque membrum complectitur.

IV. Hac diuisione proposita notandum est etiam ex D. Thom. in 3. d. 5. in expositione text. tunc prædicationem esse veram per identitatem, quando nomen prædicatur ratione subiecti, siue materialis significatum verò per informationem, quando prædicatur ratione forme, quæ prædictio est magis propria: quoniam termini in prædicato tenentur formaliter. Eadem doctrina re ipsa, licet alijs verbis, traditur à Marfilio in 1. quæst. 6. articulo 2. initio, & Gabriele dist. 4. quæst. 1. articulo notab. 2. Ex quo colligitur propositionum alias esse solum veras identice, alias formaliter, alias vtroque modo: solum identice, quando verificantur solum ratione suppositi: ut cum dicitur, *essentia est generans*, sumendo terminū *generans*, neutraliter: solum for-

maliter, cum verificantur ratione solius forme, ut cum dicitur, *Musculus canit*: quia à parte prædicati nō est suppositū, ut ratione identitatis subiecti cū ipso propositio sit vera, sed solum forma applicatur, & immediate tribuitur subiecto: denique, ut notat D. Thom. ubi supra, vtroque modo possunt esse veræ propositiones, quando prædicatū, & subiectum supponunt pro eodē, & forma prædicati ratione sui cōuenit subiecto, ut habet: quod probatur à D. Tho. exemplo huius enunciationis, *Filius Dei est homo*, quæ est vtroque modo vera: identice quidem, quoniam idē suppositum, quod est Filius Dei, est homo: secundum informationem verò, quoniam homo significat humanitatem, ut habitā à Filio Dei, qui est modus quidā informationis. Verū contra hanc doctrinā obiicitur primò, quoniam multæ prædicationes in abstracto sunt veræ identice: nomina verò abstracta nō important suppositū: ergo ad veritatem propositionis identicæ nō requiritur, ut nomen prædicetur ratione suppositi. Secundò propositiones per accidens, ut *Musculus edificat*, *Rex canit*, *Architectus currit*: sunt veræ in sensu formali, & tamen prædicatum verificatur solum ratione suppositi: idē enim Musculus dicitur edificare, quia Orpheus cui accidit Musica, edificat: nec formalia significata immediate copulantur, sed ratione suppositi: ergo ex eo, quod nomen prædicetur ratione suppositi, non est propositio vera in sensu identico.

V. Pro solutione horum argumentorum, & explicatione diuersitatis inter sensum identicum, & formalem, obseruandum est, nomen *suppositum*, cum de prædicationibus agitur, nō sumi pro supposito, quod dicitur res nature, sed pro eo, pro quo supponit nomen à parte subiecti: ita Alens. 1. p. q. 51. m. 1. art. 2. ad 1. & Lychet. in 1. d. 5. q. 1. §. Dico secundo, vnde absolute loquēdo in hac materia suppositū significat id, quod significatur per modum substantiæ, & est aptum per se subijci, & non quasi applicans alteri suum significatum: quod sumitur ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæst. 39. art. 5. ad 5. asserentis nomen substantiuum importare secum suum suppositum, vel rem per modum suppositi, & non ut in alio existentem: nomina vero substantiua non significāt solum res subsistentes, sed etiam nō subsistentes ut accidentia: ex quo patet suppositū hic sumi non pro supposito nature, sed prædicationis, quod solum cōuenit nominibus substantiuis, vnde Logici dicunt nomina substantiua supponere, vel reddere suppositum verbo, adiectiua

verò

vero nequaquam, ſed copulare formam ſuppoſito: quia ſcilicet formale ſignificatum ponunt circa ſubſtantiarum, ſignificant enim per modum accidentis inſubſtantis ſubiecto: & idcirco, quando fit prædicatione per adiectiua, nunquam prædicatū debet exponi neutraliter, aut ſubſtantiuè: quando verò fit per nomina ſubſtantiaua, poteſt exponi tum per id, quod eſt: vt cum dicitur, *Filius Dei eſt homo*, exponitur per eſt id, quod eſt homo: tum per habens formam: vt cum dicitur, *homo eſt animal*, poteſt exponi dicendo, homo eſt habens animalitatem.

VI. His poſitis facile ſoluuntur argumenta.

Ad primum diſtinguenda eſt Aſſumptio: nam, ſi intelligatur de ſuppoſito proprie, ſiue Metaphyſice ſumpto, cōcedenda eſt: in hoc tamen ſenſu non ſequitur conſeſſio: quandoquidem, vt patet ex dictis, cum D. Thomas ait, tūc propoſitionem eſſe veram in ſenſu identico, cum nomen prædicatur ratione ſuppoſiti, nō ſumit ſuppoſitum hoc modo, ſed pro ſuppoſito verbi, ſiue ſuppoſito prædicationis: in omni enim prædicatione interuenit ſuppoſitum ita acceptum: & ideo in hoc ſenſu neganda eſt Aſſumptio: nam omnia abſtracta, vt potè ſubſtantiaua, reddunt ſuppoſitum Verbo. Pro ſolutione ſecundi obſeruandum eſt aliud eſſe loqui de re ipſa, aliud de modo ſignificandi, & prædicandi: ſi de re ipſa loquamur, omnis forma, quæ non conuenit per ſe, & immediate alteri, ſed ratione tertij, in quo ſunt vnū, dici poterit verificari in propoſitione ratione tertij, & hoc modo vera eſt aſſumptio: nam edificatio per accedens cōiungitur cum arte Muſica, quia accidit Orpheo, in quo eſt muſica: ſi verò loquamur de modo enunciandi, tūc nomen dicitur prædicari ratione ſuppoſiti, cum ipſum importat ſuū ſuppoſitum grāmaticale, nec immediate applicat ſubiecto ſuū ſignificatum formale, ſed dicit illud quaſi ſubſiſtens in ſuppoſito importato per nomen prædicati: tunc enim vt formale adaptetur ſubiecto, ac de illo verificetur, oportet ſuppoſitum ipſius prædicati conuenire ſubiecto per identitatē, vt ſit idē ſuppoſitū vnus, & alterius: v. g. cum dicitur, *eſſentia diuina eſt generans*: idem enim valet, ac ſi dicatur, *eſſentia diuina eſt res generas*, vel id, quod generat, nempe Pater ſubſtantiuè: in hoc aut ſenſu eſt falſa aſſumptio, nā in omnib. illis propoſitionibus prædicata nō verificantur hoc modo ratione ſuppoſiti: ſiquidē illud nō important: nullū enim nomen adiectiuum, aut verbum trahit ſecum proprium ſuppoſitum, ſed applicat

ſuum ſignificatum formale ſuppoſito ſubiecto.

Ex dictis ſequitur nullam propoſitionem de prædicato adiectiuo eſſe veram in ſenſu idēico, ſed formali, hæc eſt D. Tho. VII.
vbi ſup. in 3. Scoti in 1. d. 5. q. 1. §. *Sed loquar*. S. Thom.
do, cum Bargio ibid. Soti q. 2. de quantitate. Scotus.
art. 1. §. vlt. Oſtenditur aut, quoniam propoſitio eſt vera in ſenſu identico, cum nomen prædicatur ratione ſuppoſiti, hoc eſt ratione eius, pro quo ſupponitur: adiectiua aut nō ſupponunt: & ideo verificari nequeunt in ſenſu identico. Sequitur ſecundo ſubſtantiaua cōcretè ſumpta poſſe enunciari verè in vtroq; ſenſu, eſt de mente D. Thomæ vbi Bargius.
ſuprà: oſtenditur verò quoad identicum, quoniam huiusmodi nomina, quatenus ſubſtantiaua, prædicari poſſunt ratione ſuppoſiti, quia ſuppoſitum à parte prædicati ſubſtans formali ſignificato eſt id, quod à parte ſubiecti ſubſtat etiā formali ſignificato: vt cum dicitur, *Homo eſt animal*, ſenſus identicus eſt, *Homo eſt id, quod eſt animal*. Quo ad formalem verò probatur, quoniam nomina eadem cōcreta ſignificare poſſunt ſuū ſuppoſitum, tanquā habens formale ſignificatum: & conſequenter prædicari de ſubiecto per modum habentis, & ita hæc eſt vera in ſenſu formali, *Socrates eſt Homo*, hoc eſt habens humanitatē. Quomodo verò diſcerni poſſit vtrum propoſitiones de prædicato ſubſtantiuo cōcreto ſint ſolum verè in ſenſu identico, ex eadem doctrina D. Thomæ colligitur: nam, ſi ſolum exponantur per identitatem ſubiecti cum materiali ſignificato prædicati, ſiue p id, quod eſt, ſunt ſolum veræ in ſenſu identico: quomodo hæc propoſitio, *eſſentia diuina eſt generans*, ſumpto termino generans ſubſtantiuè, & neutraliter, eſt vera ſolum in ſenſu identico: & facit hūc ſenſum, *eſſentia diuina eſt id, quod eſt generas*: nec poteſt aliter exponi, aut dici, *eſſentia diuina habet generationē*: cum verò propoſitio patitur vtrūq; modū expoſitiōis eſt vera ſimul in ſenſu formali, & idēico.

Controuerſia reſtat circa abſolutū. IX.
In primis aut vtrum propoſitiones conſtantes terminis abſtractis poſſint eſſe veræ in ſenſu formali: deinde verò quid requiratur ad hoc, vt ſint veræ in ſenſu identico. VIII.
Dicam verò in primis de primo, deinde de ſecundo. Non eſſe veras in formali indicat Bonaueſtura, Henric. Hiſpalenſ. vbi ſu- S. Bonavent.
prà, & alij. Et ſuadetur, quoniam propoſitio conſtans terminis abſtractis non verificatur niſi per identitatem nec exponi poteſt per habens formā, ſi enim exponatur hæc propoſitio, *humanitas eſt animalitas*, non verè dicitur, *humanitas eſt habens ani-*
malitas.

malitatem, sicut non verè dicitur, *homo est habens animal*: sed dici debet, *humanitas est id, quod est animalitas*: ergo non est vera in sensu formali, sed identico. Contra verò alij constituunt discrimen in prædicatis abstractis: nam, quædam pertinent ad rationem intrinsecam subiecti, quædam minime; Et priora censent prædicari formaliter, posteriora vero nequaquam. Primum patet, quoniam in illis prædicatum verificatur de subiecto ratione formalis significati: quæcunque verò ita verificantur, prædicantur formaliter, quâdoquidem formale significatum prædicati tribuitur per se ipsi subiecto. Secundum verò ostenditur: quoniam illa, quæ non sunt de intrinseca ratione alicuius, sed sunt forme disparatæ, abstracte significatæ præscindunt ab illo, nec applicant illi per se primo suum formale significatum, sed solum possunt verificari, quatenus id pro quo supponunt, est idem cum subiecto: quæ verò ita verificantur, enunciantur solum ratione suppositi, ergò solum habent veritatem in sensu identico. Denique constitui potest discrimen inter abstracta substantiæ, & accidentium: nam abstracta substantiæ, ut ait Scotus sunt ultimo abstracta, & ideo cùm dicitur, *humanitas est animalitas*, non potest exponi per verbum habens: non enim est vllum abstractum animalitatis, quod humanitas habere dicatur, nec verè dici potest, humanitas habet animalitatem: quare non dicitur in sensu formali, *humanitas est animalitas*. Contra vero abstracta accidentium habent alia abstracta, quasi formas, & quidditates ipsorum: verbi gratia, *albedo* albedineitatem, color coloreitatem: & ideo cùm dicitur, *albedo est color*, verè exponi potest, id est, *albedo habet coloreitatem*, & consequenter hæc, *albedo est color*, erit vera in sensu formali.

IX. Ex his tribus sententiis media est eligenda relictis extremis. In primis verò ostenditur pars ea, quæ asserit omnia abstracta, quæ sunt de ratione formali intrinseca, prædicari formaliter, quoniam prædicatio in sensu identico non impedit, quominus propositio verificari possit etiam in sensu formali, ut constat ex D. Thomæ: ergò, quoties prædicatum dicitur de subiecto, non solum quia vtrumque supponit pro eodem, sed etiâ quia significatum formale prædicati per se cõuenit, ac tribuitur subiecto, prædicatio erit vera in sensu formali; ideo enim dixit D. Thom. citato loco sententiarum in expositione literæ prædicationem in sensu formali esse magis pro-

priam, quia termini in prædicato tenentur formaliter: quoties autem forma significata per nomen abstractum pertinet ad rationem intrinsecam subiecti, nomen prædicati nõ solum tribuitur subiecto ratione suppositi, siue eius, pro quo vtrumque supponit, sed etiâ ratione formalis significati: ergò prædicatio erit vera formaliter: Vltima pars antecedentis constat, quoniam omne prædicatum essentiale applicatur formaliter subiecto, ad cuius essentiam pertinet. Posterior pars ostenditur ratione adducta per secundam opinionem: deinde verò, quoniam si forme disparatæ non considerata identitate suppositi affirmari vere possint in sensu formali de subiecto, in opinione dicentium potentias nõ distingui ex natura rei ab anima, aut inter se, hæc simpliciter erit vera in sensu formali, scilicet, *intellectus est voluntas*: quod tamen est falsum: quare forme disparatæ abstracte significatæ nõ prædicantur verè in sensu formali. Patet antecedens, quoniam tunc ad veritatem in sensu formali sât erit omnimoda identitas ex natura rei, nec dabitur alius modus discernendi veritatem in sensu formali propositionum constantium terminis abstractis: hoc autem est falsum, ut amplius probabitur cap. seq. Ex quo patet ad veritatem formalem propositionis constantis à parte prædicati termino abstracto non esse satis, ut prædicatum, & subiectum sint idem ex natura rei, sed præterea requiri ut formale significatum vnus applicetur alteri per se, & nõ solum ratione suppositi. Qua de causa nõ sunt veræ in sensu formali hæc, & similes propositiones: *albedo est similitudo, actio est passio, intellectus est voluntas*, etiam in opinione eorum, qui inter extrema cuiuslibet ex hisce enunciationibus nõ cognoscunt distinctionem ex natura rei: Fundamentum est, quoniam eiusmodi termini secundum præcisas rationes formales considerati sunt disparati, nec ratio formalis vnus, ut sic accepti, coniungitur rationi formali alterius.

X. Antequam satisfiat argumentis. Obseruandum est, quamuis dictum Scoti de diuersitate inter abstracta substantiarum, & accidentium sit cõmuniter receptum ab Scottis, & nonnullis aliis, non habere tamen efficaciam fundamenti: nam, quia facilitate dicitur, eadẽ negari potest: & hoc ipsum indicant nomina, quæ fingunt ad explicandas rationes ultimo abstractas accidentium, sunt enim inaudita apud antiquos Philosophos, & Doctores Scolasticos ante Scottum, quod signum est antiquos nequaquam agnouisse tales rationes formales. Quis.n. ex antiquis vsus est nomine, *coloreitas*, aut *albedineitas*:

diuinitas: Et si fingere verba licet, ipse quoque dicam nomen *humaneitas* significare rationem formalem humanitatis, & *animalitas* rationem formalem animalitatis: & ideo humanitatem, & animalitatem non esse abstracta vltima abstractione. Præterea ratio eadem est vtrobiq̃ue, sicut enim color est ratio formalis colorati, ita animalitas animalis: Et sicut color habet habitudinem ad coloratum, vt ad subiectum, ita etiam animalitas ad animal, vt ad suppositum: cur ergo color abstractus à colorato poterit adhuc resolui in duos conceptus alterum rei, quæ est, alterum rationis, qua est, animalitas vero nequaquam? Ex quo patet discrimen inter abstracta, & concreta substantialia, quod supponitur in tertia sententia esse fictitium: atque adeo ex eo non desumi efficax argumentum ad probandum abstracta substantialia subordinata in recta serie in nomine prædicari formaliter. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur tunc solum propositiones veras in sensu formali explicari per habens, & habitum, quando constantur ex terminis concretis: in abstractis vero, quia est pura prædicatio in quid, hoc minimè requiritur: sed fat est, vt subiectum sit ipsamet ratio formalis, quæ est prædicatum, non solum per identitatem realem, sed etiam formalem; sed hac de re fusius cap. sequent.

Propositiones compositæ ex terminis abstractis veræ in sensu formali non explicantur per habens formam: & quam illæ sint.

CAPVT XII.

INunc explicandus est modus exponendi propositiones formales constantes terminis abstractis, nempe vtrum opus sit, vt prædicatum explicetur etiam per habens formam. Pars enim affirmatiua constat ex eo, quod Autores communiter appellant prædicationem formalem per inhaerentiam, quæ saltem debet esse secundum modum significandi, aut intelligendi: quidquid autem concipitur, aut significatur de subiecto per modum inhaerentis, potest de ipso prædicari per verbum habens talem formam. Contra verò prædicationes identicæ constantes terminis significatibus obiectum idem

re, ac ratione, vt *Deitas est Deitas*, *humanitas est humanitas*, sunt maximè formales, quoniam termini copulantur non solum ratione materialis, sed etiam formalis significati, nec tamen possunt explicari per terminum, *habens*, quoniam humanitas non est habens humanitatem, nec datur aliud abstractum conueniens secum in formali significato, quo dici possit habere.

Pro decisione obseruandum est propositiones, quæ sunt tantum formales necessario explicari per terminum habens, aut per alium æquipollentem nam, cum prædicatum sit adiectiuum, nec significet obiectum formale, vt quod est, sed vt quod aliud est, non potest dici esse id, quod est subiectum, sed inesse illi, vel haberi ab illo. Quæ vero sunt simul identicæ, non necessario ita explicantur: quoniam in his prædicatum dicitur in quid, vt autem subiectum dicatur esse hoc aliquid, minime requiritur vt sit habens ipsum, sed fat esse, vt sit idem ipsum: cum enim Socrates dicitur esse homo, non oportet vt sit habens hominem, sed vt sit quidditatiue ipse homo. Veruntamen quoniam eorum, quæ prædicantur in quid, nonnulla sunt concreta habentia formas, alia vero abstracta non resolvable vltius in habens, & habitum, sed ipsæ sunt formæ vltimate abstractæ; hinc prouenit vt identicæ simul, ac formales constantes prædicatis in quid, quædam explicantur per terminum, *habens*, quædam minimè: nam, quia homo resolui potest in suppositum, quod est, & formam totius, qua est, cum dicitur, *Socrates est homo*, sensus formalis est, Socrates est habens humanitatem: quia vero humanitas, vel animalitas non habent alia abstracta, in quæ resoluantur, hæc propositio, *humanitas est animalitas*, exponi nequit per habens, vt dictum est.

Vt ergo constet, quam prædicationes in terminis abstractis sint vere formaliter, notandum ex Diuo Thoma, & Bonauent. cit. cap. 2. numero 1. hoc esse discrimen inter nomina abstracta, & concreta: quod concreta ex alio imponuntur, & aliud significant, imponuntur enim à forma, & significant habens formam, & præterea significant formaliter aliud, & pro alio supponunt: vt patet in nomine candidum, supponit enim pro corpore habere candorem, ipsum vero candorem, à quo est impositum, significat formaliter: abstracta vero significant idem, ex quo imponuntur: atque adeo idem omnino significant, & supponunt: humanitas enim

& sapien-